Frid. Zamell

EPIGRAMMATUM
liber VI.

ELBINGÆ
Typis BODENHAUSIANIS.
anno M. DC. XL

Ad Lectorem.

Principe ſub Gothico congeſta Epigrammata nobis
Vnum, Lector, opus qvinq; fuère libris.
Sex nunc aſſerimus. Bis tertius adſpicit auras.
Qvinq; Tibi lectis ſe rogat ille legi.

AD SERENISS: AC POTENTISS: DN. DN. VLADISLAUM IV. Poloniæ & Sveciæ Regem,

cùm in adventu illius ad dextram ejusdem deosculandam admitteretur.

OS video vultûsq; Tuos, Rex alme, videntq;
Servitium paßi Drusidos urbis agri.
In dextram demitto sacram lactentia cunas
Ante Tuas, sceptris nata sed ora Tuis.
Fregeris Ismarias per bella ferocia gentes:
Non habet hæc iras nec gerit arma manus.

De Stellâ Aureâ Illustriss. familiæ Guldensterniorum.

STella supra Famam est: plectro nihil indiget Aurum.
Dic mihi, quei posint hæc duo ritè coli?

De eâdem.

STella pii generis cœlestes indicat ortûs:
Qvo terras Aurum posse carere negat.

Poëseos cultæ sincera præmia.

CVî deus in loculis, cuî spes in fœnore sola est,
Huîc ego prædico: sors Tibi nostra nocet.
Qværitur à nobis, qvod ne tumuletur eodem
Cespite, se curtas excitat inter opes.
Dixi ego: & hæc locuples damnabat præmia civis:
Patria qvem dubitant rura fuisse suum.

De ſilvis.

Vos rura, & querulas dulciſsima nomina ſilvas
Non poſſum quovis non celebrare loco.
Vix aliquo in numero eſt; magnos triviſſe Marones,
Et puerum Phrygios edidiciſſe duces.
Vos juga Muſarum monſtratis ad ardua callem:
Vos mihi Pirenen Caſtaliamq́; datis.

In Bibliothecam Ludovici.

HÆcne eſt Bibliotheca Ludovici?
Hæcne armaria copioſa libris?
Illa armaria detonata plebi,
Solâ ex colluvie omnia æſtimanti?
Sed Poſtillographos & hunc & illum;
Exin Grammaticos & hunc & illum,
Sed quales ſchola nominat minutos;
Hinc defenſa gigantibus roſeta
Gibichi, tumidæq́; Grimoildæ,
Arturosq́;, Gothumq́; Theudericum,
Triſtantemq́;, Amadiſiasq́; nugas,
Et Pontum, Galaminiosq́; fratres,
Cumq́; Orſo Meluſinium draconem,
Et ſcurræ mala geſta Tilliani,
Es ſaccum atq́; apicem Andeluſianum;
Dein luxûs monumenta Apiciani,
Dignasq́; Aufidio nepote leges;
Pòſt omnes Elephantidis libellos,
Quicquid deniq́; Sotaden cinædum
Primâ fronte aperit ſui theatri,
Toto hoc exime & aufer apparatu:
Dejerabo ego, quicquid eſt deinceps
Unâ poſſe recondier ſub ulnâ.

Ad

In qvemdam.

MItte Cupidineum ſexagenarius æſtum,
Pectore in emerito qvid puer audet Amor?
Qvis dixit ſapiens, præſtare hanc qværere tabem?
Ah leviora trucis fata Neronis erant!
Leucaten melius ſcopulo ruiturus adiſſes;
Vt niſi Tu pereas, tranſeat iſte furor.

Senes ſaltantes.

SAltavêre ſenes, ſimilemq; habuêre choraulen:
Sed ſolvêre chorum cùm cecidiſſet anus,
Excuſſum vetulæ flêrunt conſortia dentem.
Non aliter flendus caſus erat patriæ.

Precatio Poëtæ cujusdam à Socrate adducta apud Platonem in Alcibiade poſteriore:

Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ, &c.

DA bona, ſumme parens, hæc aut orantibus aut non.
Qvæ mala ſunt, nobis eadem poſcentibus arce.

Sive.

Da mihi qvæ bona ſunt & non, Deus alme, precanti.
Qvæ mala ſunt, qvàmvis illa rogêre, nega.

In Tacconem.

TAcco parat nobis Saliari prandia luxu:
De mendicatis ſed parat illa cibis.
Solvet ad Argolicas vendenti vina Calendas.
Hac habitat Tacco non ſua tecta fide.
Sunt & cum poſitis aliena ſedilia menſis,
Et tabulæ & totâ fixa ſigilla domo.

Poſcunt

Poscunt sartores: in easdem distulit Idus,
Græcia qvas natum condidit ante Remum.
His veniant ortis exactum nomina lixæ:
Succedat tonsor, bibliopola, faber.
Per famulum invitat, tres qvem conduxit in horas.
O qvamti pretii res erit, esse domi!
Nec convivator nec sunt convivia tamti;
Vt grates huic, qvi non meruisset, agam.

De pedissequis precipuar. Boruss. urbium.

VIrginibus nostris toti contendimus Orbi.
De numero (namq; est maximus ille) loqvor.
Huc vel ab Occiduis vel Eois venerit oris,
In mores Dominæ servula vilis abit.
Nec pes discrimen nec cervix comta relinqvit.
Sunt totidem tunicæ, virgineisq; pares.

Ad Rusticum.

DEstituor canibus bis qvinq; decemq; per annos.
Si qvis erat nobis Rustice, pictus erat.
Insani plusqvam est inter vicina latratûs:
Horret ad hunc sceptri turba pusilla mei.
Non mihi sed patulo est animal canis utile ruri.
Prima Tui fundi dona remitto canem.

De Marte.

FEssus adulteriis & amorum Iupiter exors
In Paphiam lites movit & arma deam.
Pro Iove Gradivus belli tractabat habenas:
Cui visa est cultu qvo solet esse Venus.
Siccine me genitor committit inermibus? inqvit.
Nudus in hoc bellum (tela valete) ruam.

In

In Pasqvinum.

OMnia qvi carpit Pasqvinus & omnia ridet,
Hunc vidi lacrimis immaduisse semel.
Et res talis erat, qvam non contemnere posset.
Tunc primùm uxoris nôrat adulterium.

In qvemdam.

FVgisti monitis animum componere nostris.
Ipse Tuis angor, vir miserande, malis.
Nam qvoties dixi, cùm Calvia lege jugali
Ducta Tibi est: thalami jurgia prima cave.
Qvid vobis operum, qvid vitæ restat agendæ?
Vna dies acta est, nec sine lite fuit.

De messe anni M. DC. XL.

NOndum plena suo descendunt gaudia cœlo:
Sincerumq; rogant omnia rura jubar.
Iamq; furit Boreas jamq; hispidus irruit Auster:
Ventorumq; luit messis adulta minas,
Cùm subitò iratus demittit Iupiter imbres.
Nec fratrem flectas Tu tamen alma Ceres?

Ad locum Aristotelis ex II. Polit c. IIX.

Τὰς γὰρ ἀρχαίας νόμους λίαν ἁπλᾶς, &c.

QVò ferrum, si jura valent? qvid cingitis illo
Corpora, sacrarum tuti munimine legum?
Sive propulsandæ, cives, vi sumitis arma;
Sive aliis inferre libet; ruit omnis ab alto
Majestas legum, dextræq; in robore jus est.
Hic rigor, hæc feritas alio sub Sole jacentum est.
Et prisci sed tunc gens moribus aspera Graji
Sub Iove succinctum lato femur ense gerebant:
Nunc habitum atq; animum damnant mansveta professi.

Vla-

Vladislao IV. Potentissimo Polonorum & Svecorum Regi.

NOn omnem Gothicæ, Rex maxime, gentis amorem
Deposui missis in sua Regna Gothis.
Tres amo carus iis, dignum Os Cicerone Borastum,
Montanumq; pari Vastoviumq; fide.
Da veniam: si Te, si Patrem respicis, ô Rex;
Omnibus irasci non potes ipse Gothis.

Admodum Reverendo atq; Excell. viro Dn. D. Gregorio Borasto, Canonico Varmiensi, & Secr. R. M. Pol. ac Sveciæ.

NUm mea, si qværis, sint condita carmina silvis,
Ingenii præses culte Boraste mei;
Condidimus. Nuper fassus sum Regibus ipsis.
Adjeci: nemoris nil tamen esse mei.
Res Tibi visa proba est, hæc me scripsisse. Qvid ergo?
Hoc restat: coràm Tu potes ista loqui.

De Poëtis.

INgrediebar iter: suberant tunc nubila cœlo,
Ac nondum Titan, penè sed ortus erat.
Vota dabam Superis: arrisit Phœbus eunti:
Et formosa dies, & sine nube fuit.
Hoc meruisse sat est, desint ut cætera, dixi,
Vatibus ut semper lux sit & alba dies.

Τυρομίσης·

VApulat à domino qvòd verna miserrimus, inde est:
Edit caseolum, qvem fugit osor herus.

De Paullino.

PAullinus qveritur trans Alpes îsse nepotem,
Fecisse impensas, nec tenuisse modum.

Qvi

Qvi Latio redeunt, paucis sunt caulibus usi.
Adspice vestitos: omnia manca gerunt.
De vino nihil est: dilutum Roma propinat:
Nec velut in nobis. Qvid blatit ergò senex?

Laus Artemii, sive peregrinatio fructuosa.

IN Latio Sophian, Themin atq; Helicona repertum
Rectè indaganti gratulor Artemio.
Docta suos fugiens jam dudum Græcia colles
Tarpejo insedit proxima rura Iovi.
Artemius dominæ cineres ubi viderat Vrbis;
Testis, ait, locus est, heic habitasse deos.
At nos sacra deûm propiùs tangamus & aras:
Qvæq; latent oculos, cernere mente juvet.
Hæreat his animus rerum inferiora secutus;
Est ratio nostræ sanctior ista viæ.
Asseruit Latias è multo marmore leges,
Desvetisq; loqui reddidit ora notis.
Felices animæ, qvos sic externa fatigant,
Vt redeant digni patribus & patriâ!

Ad Ampliss. & Doctiss. virum Dn. Simonem Dachium Poëseos in Academiâ Regiomont. declaratum P. P.

MVsa, qvis in nostris Phœbus novus imperat oris?
Ipse novos animos colligo, vimq; novam.
Qvisquis id excelsum superasti culmen honorum;
Qvæ Tua sint, Vati nomina pande Tuo.
O Dachi, ne Tu subitaria sacra Zamell
Despice: qvæ fecit, qvâ solet ille, fide.

Gallus gallinaceus suffocatus.

PAnthoides qvondam magno congressus Achilli,
Post aries, tigris, simia, Pythagoras:
Sæpe etiam mulier, & qvî muliebria passus
Est Sporus Iliaco pro Ganymede puer:
Nunc præfocato periit mihi gutture gallus.
Anum egressa anima est, qvid subitura? suem.

In gulonem.

QVidam Athamantéam mihi lurco precatur Erinnyn:
Optat & Inois non leviora malis.
Illi Erisichthonias opto contingere fauces,
Qvalisq; inglüvies Astydamantis erat.
Lurco fame pereat monitis aversus amicis:
Et qvod amat, pœnam sentiat esse suam.

Pilei qverimonia ad sapientes.

HEi mihi, vesanæ qvi pileus esse juventæ
Cogor, & in formas semper abire novas?
Iam probor immensâ, tenui nunc eligor orâ:
Iam pandus fio: jam mihi surgit apex.
Credo, qvòd audierant, vestrî qvid summa reqvirant,
Pro capite exercent pileolum impositum.

In Lætum.

EGregium Læto Carnutum Academia nomen
Contulit. Hoc unum cætera nudus habet.
Contrahit excusso veteres Hippocrate vappas:
Inq; brevi Medicas murice gestat opes.
Qvàmvis (si verum est, qvod dicunt unus & alter)
Et de Cephiso lauriger amne bibit.
His auctus titulis thalami sibi fœdere Byrsin
Iunxit: in hac orâ cuî negat esse parem.

Deinde

Deinde qvod hoc decore est & tali conjuge dignum,
Incolit in medio splendida tecta foro.
Hæc fractas solentur opes, nisi crimen inesset.
Extremùm misero Gallica bulla data est.
Qvid coquat in clybano, dum non curatur in urbe;
Lixivium in rudibus ventilat agricolis.
Sed nec in obscuro est res de Parnaßide lauru.
Emit & hanc. Aureîs venditur illa tribus.
Nemo puto vidit, qvid poßint scrinia Læti.
Nil ego. Castalidum per sacra juro novem.
Hircosa est Byrsis, strumamq; in syndone gestat:
Cuî dos ex unâ est hæc domus unciolâ.

Priapus.

QVem lauti Pario faciunt de marmore Reges,
Ficulnus tueor paupera rura deus.
Ligneus in turbâ custos sum semper agresti:
Marmoreum qvàmvis scripserit esse Maro.
Scilicet & curam suscepit, ut aureus essem.
Qvid præstent Vates, si Maro vanus erat?

De Medico.

CVr malè sit Medicos, forsan si qværitis, edam:
Omnibus in totâ civibus urbe bene est.

De silvis.

IN silvas ferimur nostro qvoq; Consule dignas.
Augusto claudi mens mea nescit agro.
Vos tenues horti, vos unius arboris umbræ
Nomen iners estis Vatibus atq; diis.
Nos spatia immensi nemoris Nimfæq; morantur.
Obscœni Vobis ingven habete dei.

De Basso sene.

Morbum incidisse queritur in gravem Bassus
Silicernium, nec nominat. Senectus est.

Ad Pet. Gisconem.

Nupsit Grammatico superba Gilva
Illi Cælio, amice Gisco, cuî rem
Decedens genitor relìquit omnem:
Totum hoc, qvod Diomedis est & Auli,
Qvod Festi est, superestq; Prisciani,
Qvod silvæ resonant Maronianæ,
Qvod rident numeri Catulliani,
Qvod plorant elegi Magistri amorum.
Non contendo qvid hæc juvent puellas:
Verùm ut Cœlius illud auspicatò
Gilvæ dixerit, illud ambienti;
Sed sic dixerit, ut simul puellæ
Audirent comites, & ipsa mater:
Formosissima virginum: qvot Eurus,
Qvot Corus, Boreas & Auster afflat:
Qvam spectet Venus, & velit Cupido,
Sed spectent reliqui dii, deæq;:
Nec jam se neget illa ritè victam:
Et plusqvam Paridis probare jurent
Hoc se judicium dii, deæq;.
Cum dicto placuit disertus autor.
Qvod vix munera dent beata Regum,
Vnus Grammatici dedit susurrus.

In Tatam.

DVxisti nec Te nec dignam ætate puellam:
Turpiùs est donis qvæ tamen emta Tuis.
Vane Tata, qvamti primus Tibi constitit error!
Nunc emit, emtores aut habet illa suos.
Sed peregrina domo est, notosq́; reliquit amantes?
Crede mihi, Paris est alter in urbe Tuâ.
Non ibit, patrium Gabiis ut suscitet ignem,
Extruit in Vejis si qva Gabina focum.
Seu prior excedas seu Zalge; & in hoc & in illo est,
Qvod speres. Aliud Te nihil expediet.

De Lesco.

AVsus erat Lescus geminas ambire sorores.
Caussa qvòd utramvis, forma minoris erat.
Nam formæ nimiùm qvòd sideret, illud agebat
Lescus, ut huíc spretus vir foret alterius.
Sed minor, ut facies posset prælata videri;
Admisit juvenem prima, deditq́; fidem.

In Paullum.

ÆDificas, surgisq́; senex maturior illo,
Qvo placidi redeunt exoriente dies:
Teq́; fabros inter jubar ad declive fatigas:
Sed nec rure Tuo, Paulle, nec ære Tuo.
Vix Tibi pingentur qvales meditaris Atridas,
Qviq́; fero eripuit Tros pius igne patrem.
Videris illa tamen, creberq́; admissus amicus,
Et sedeat Tecum sub radiante tholo:

Qvæ

Quæ cœpti ratio, si Te usq; danista Philippus
Exagitat; cujus, qvod seris, arca metit?
Paulle, furor certè est, his perdere molibus assem:
Maximus, impensis non satis esse suis.

In Cleandrum.

ALtera bis decimum series Tibi computat annum,
Vt sint qvot messes vixeris, adde decem.
Impia sunt, numeroq; carent, qvæcumq; patrasti.
Oppida sunt sceleris ruraq; plena Tui.
Et spires altum? ventum est ad summa, Cleander,
Qvà lictor clavos expedit & laqueum.

De Puellis.

PRostat & in nostris cœlum genitale puellis.
Non est hæc Paphiæ gloria sola deæ.
Esse tamen terræ contendat Cypria prolem:
Mox gelidi spumas audiet illa freti.
Pulicum at occentet, quibus ipsa est libera, morsûs:
Ad probrum hoc nostræ qvid regerent Veneres?

Puellarum responsio, ejusq; confutatio.

AFfertur, dominas hæc velle reponere: longas
Esse sibi tunicas, Cyprin habere breves.
Non has sed longam infestari à pulice vestem.
Oh nihil est! Illam nuda puella fovet.
Qvid facitis, dominæ, tunc cùm sine veste jacetis?
A vestro pulex sordidus ungue cadit.

Hæreditas Paulli.

PAullo parente ritè condito fratrum
Par cùm familiam heriscerentur umbrosâ

Sub

Sub nocte; repperere patrii fundi,
Argenti, & auri, & nominum meras umbras.

In Marculum.

TRes qveritur famulos sibi Marculus esse. Qvid optat?
Vnum os, octo manus, & tot habere pedes.

In podagram.

IVßimus hanc turbam lictoris voce citari.
De Te præcepi, sancta podagra, nihil.

De Adelheide Francif.

COrpore tam tenui est Adeleidis filia Franci
Non rarò ad limen missa remissa meum:
Vt cùm nescio qvid fidam mihi dicit in aurem,
Penè nihil videam; sitq; ubi, sæpe rogem:
Vt circumspiciam culicem per inane volantem.
Hac feriente meæ cùm crepuêre fores.

In focum.

IGnis inest animis: nec solos corporis artûs
Focilat, estq; ortûs conscius ille sui.
Æthera transcendit, nec inanibus hæret in auris.
O qvamtas in res nos jubet ire focus!

Martino P. P. L.

CAussa qvòd abstineo gravibus Martine cothurnis,
Et tragico dignum syrmate canto nihil;
Qvòd mihi decretum est alienos mittere luctus;
Sufficit in curas qvòd sua caussa meas.
Qvi canis Atridas & fata furentis Orestæ,
Quid portas? maciem canitiemq; citam.

Monar-

Monarchia Aſsyriaca.

COepit in Aſſyrio majeſtas Regia Nino.
Perdidit imperium Sardanapalus iners.

Perſica.

TRanſtulit in Perſas victor diademata Cyrus.
Adjecit Pharias hoc patre natus opes.

Græca.

REx Macedûm ſpoliis Perſæ ditatus & Indi
In regnum moriens miſit & arma duces.

Romana.

ULtima ſubvecta eſt Romana potentia cœlo.
Durat adhuc, famâ ſed minor ipſa ſuâ eſt.

Cæſar.

CÆſare ſublato populis fatale regendis,
Perpetuo poſthac Cæſare, nomen erat.

Zaleucus legislator.

DIſcite ab unoculo Themidos nova turba Zaleuco,
Nî valeant leges, poſſe valere nihil.

Damocles paraſitus.

TV qvi felices potuiſti dicere Reges,
Regales inter diſce pavere cibos.

Judex Cambyſéus.

DE Cambyſéo qvæ neſcit judice tellus?
Eſſe deis curæ fas, ait iſta cutis.

Matres

Matres inopinato filiorū reditu extinctę.

FAma fuit natos matrum cecidisse duarum.
Qvid subitò extinctas, hos rediisse, juvat?

Philonomus & Callias.

Cùm totam flammis absumeret Ætna Catanam;
Patris hic, at matris portitor alter erat.

Pædagogus proditor.

PRoditor à patriis agmen puerile Faliscis
Verterat: hinc plagas, qvas dedit, ipse tulit.

Reges captivi currum Sesostris trahentes.

DEpositi sceptris spem non posuêre, Sesostri;
Si rota, quâ mersa est, parte resurgit humo.

Pater filiæ ubera sugens.

Filia captivo sua præbuit ubera patri.
Hæc alimenta senis, ne moreretur, erant.

Troja ardens.

OB Paridis flammas sunt hæc flammantia Trojæ
Mœnia, non alio digna perire modo.

De eâdem & Româ conflagrante.

IGnibus in captam qvid sævis Græcia Trojam,
Si facit hoc Laribus Dardana Roma Tuis?
Qvid tamen hæc Tyrias flammam qvoq; mittit in arces,
Sii parat ulsrices Teuto Gothusq; faces?

Matronæ Vinsburgenses.

QVamtum humeris possent captorum ferre maritæ,
Rex dedit: illæ humeris imposuêre viros.

De Clemente N. amico.

HOrarum automato gravis ambulat indice Clemens:
Adde qvòd est index, qvem gerit, ille duplex.
Alter inest loculis, collo demittitur alter:
Estq́ domi sextum non minus automaton.
Occupat & latam bis tertia clepsydra mensam:
Maxima dat medium cum Phaëthonte diem.
Deme qvod est silvis, tria sunt solaria villæ.
Namque unum in silvis arida qvercus habet.
Ad nonum lapidem nostrâ procul urbe beatum
Rus colit: ipse horas hanc aditurus obit.
Machina dum variat, jamq́ hæc jamq́ illa laborat;
Ad decimam, sextâ jussus adesse, venit.
Vir bonus es, dixi; cave fallere falsus ab horis.
Omnibus excidium nunc parat automatis.

Fenestra vitrea, amoris tessera.

SI qvid habent vitreæ possuntve in amore fenestræ;
Vix amor à Læto. Fracta fenestra mea est.

De Æneâ.

PEr Trojæ medios Æneas extulit ignes
Patrem humeris, natum sacraq́ rapta manu.
Cesserunt flammæ. Dic conscia Luna, qvis unquam
Posset & in mediâ sanctius ire die?

De Venere à Podio pictâ.

HÆc Gnydiæ facies & eburnea colla fuerunt,
Sparsus & hic crinis per sua colla deæ.
Hæc cestigati sunt corporis omnia: mammæ,
Venter, & hæc fruticans portio, crura, pedes.

Talia

Talia, Zeuxi, palàm Tibi subjecére puellæ:
Suggessit Podio lumine cassus Amor.

In Sethum.

A Sethi famulis numquam non manè salutor:
Ipse venit, mersis in freta Solis eqvis.
Cernuus in varios moderatur pilea gestûs,
Datq; bis admotâ basia prona manu.
Par ego dum refero, sed cætera deprecor, utq;
Assideat posco, nec facit; hora perit.
Vt tamdem cessit, totidem mendacia garrit,
Qvot putat hinc palmas Cæsaris, inde Gothi.
Iam Calabris illapsus agris, jam collibus Hæmi
Committit Latios Bisthoniosq; duces.
Ac plusquam Æneas fugiens Polymnestoris urbes
In Siculos siccum per mare vertit iter.
Venerat. Hesperiis adimit sua Regna Philippis,
Et Pœno Hispanas remige vectat opes.
Pergit, & in Scotis Trinobantum fœdere rupto
Improba cognatas mittat in arma manus.
Obtrudo calices: magnum præfatus honorem,
Et repetens bis ter basia nota, bibit.
Nec sibi non similis cùm paucula reddidit, instat:
Cras discam caussâ Celrica gesta Tuâ.
Turbida lux ierat, cùm rursus nocte profundâ
Tot Sethi officiis servitiisq; necor.

In Attonem.

R Asit picturas, fregit tabulata, fenestras:
Sic nudam & laceram vendidit Atto domum.

Fecerat offensus cimicum grege. Vendita centum est
Argenti libris: bis totidem emta fuit.

In Crispum.

EST dare qvod possum, sed per suffragia Patrum,
Cùm sciat hoc Crispus, me rogat atq; Patres.
Sed Tibi (sic ait ille mihi) donabimus ingens.
Dixerat hæc clarè: cætera murmur erant.
Et redit, & verbis tamtum promittit iisdem.
Qvid credam hoc ingens, *qvod dabit, esse?* nihil.

Ad Phoebum.

ASsere, Phœbe, Tui nomenq; decusq; Poëtæ:
Qvamq; dabas puero, sit mihi fama seni.
Hæc nemora & fontes habitantia Numina testor,
Carminis hanc summam sæpe fuisse mei.
Ecce qvies fuerat: motis ruit Auster ab ornis.
Arrisisse mihi silva locuta deum est.

De qvodam.

IPse niger longis est auribus, est oculo uno
Et pede. Sic omnes exhibet Antipodas.

De eodem.

ERravit natura prior: sed casus in his est:
Χλοῦνης μὲν τὸ γόνυ, φλὸξ δὲ ἀνεῖλε φάος.

In Priscum.

PRiscus habet nasum, qvo non est longior alter:
Parq; Priapéo nec minus ingven habet.
Mille domos lustrat: sunt tot lustrantis amicæ.
Qvà subit, est ipsi Priscus amicus hero.

Est omnis ſuboles naſuta ſub ædibus illis.
Et quis non Priſcum dixerit eſſe patrem?

Ex Athenæi lib. I. dipnoſoph.

Τροφὴ γὰρ ψυχῆς λόγοι καλοί·

EXcitat humanas pollens facundia mentes:
Quoq́ vigent animi, ſermo venuſtus habet.

Ex Sappho.

Μήτε ἐμοὶ μέλι, μήτε μέλιττα·

NOn mihi Cecropius ſua mella minſtrat Hymettus:
Sed nec apes inter, quas habet, ulla mea eſt.

Ex eâdem.

Εἰ τοῖς ἄνθεσιν ἤθελεν ὁ Ζεὺς ἐπιθεῖναι βασιλέα, &c.

IN flores alios uni ſi ſceptra dediſſet
Iupiter, imperio Tu roſa digna fores.
Tu decus es florum, Tu prati ſumma venuſtas:
Tu ſpiras Zephyros, Idaliasq́ faces.

Ex Theocriti Idyll. XV.

Πάντα γυναῖκες ἴσαντι, καὶ ὡς Ζεὺς ἠγάγεθ' Ἥρην·

SOla dicax mulier ſecreta hominumq́ deûmq́
Novit, & ut magno nupſerit Hera Iovi.

Ad Dianam.

DIva potens nemnrum, quorum avia teſqua pererro,
Cautiùs ad fontes tende remiſſa Tuos.
Nam ſi Te nudam comitesq́ ego videro nimfas;
Non ille Actæon, qui juguletur, ero.
Turba canum procùl eſt: nec ſic cum cornibus ibo,
Quin priùs in vobis arma nova experiar.

Ad

Ad eamdem.

QVid per nimbosos infers Te Delia montes?
Hoc studium heroes & tener implet amor.
Si Martem spernis, Paphiæ si negligis ignes,
Qvid tamen intorques improba tela feris?

De Homero & Vergilio.

ILle nihil didicit vel lectis mille Poëtis;
Cuî nec Mœonides, nec Maro lectus erat.

Nuptiis Claudii Formosi.

Cùm peteret Colchos formosus amavit Iason
Colchida formosam. Falsus uterq; fuit.
Sive qvòd obscurâ non omnia nocte paterent,
Sive qvòd in noxâ mens utriusq; foret.
Vos meliùs, Claudi, spectastis ab omnibus annis
Alterius vultûs alter, & ingenium.

Manibus Vencesilai Clementis à Lybéo monte Poëtæ nobiliss.

EXtulit egregio qvem Regia Praga parenti,
Cuî dedit ad Reges mellea Svada loqui,
Qvem Mars indomitus patriis à finibus actum
Iussit ad externos longiùs ire deos,
Ad Gothicum venit langventi corpore Regem,
Mens sed in affecto corpore major erat.
Hunc fractos cecinit per Teutonas arma ferentem:
Et Rhenum accessit, quà maris intrat aqvas.
Inde Caledonii Vatem asseruêre Britanni.
Sic tamquam civi busta dedêre suo.

Sed

Sed sis Prußiacis ô amice remotus ab oris,
In tumulo extabunt hæc mea verba Tuo:
Clemens Vencesilas, cœlo qvem fama dicavit,
Heic stabilem invenit post sua fata locum.

De Europâ puellâ.

Virgine cum Tyriâ qvòd Gnosius æqvora Taurus
Ingreditur, furtum qvis neget esse Iovis?
Idem qvid tenerum corpus tot fluctibus urget,
Qvod poterat plumis & per inane vehi?

In Memmiam.

Sicne albescentem componis, Memmia, crinem;
Et faciem ad speculum, qvâ potes, arte novas?
Qvid peccas ultrà, paucosq; negaris in annos
Ipsa Tibi, senii jam manifesta Tui?
Præstat volsellas & inanem mittere fucum
Tunc cùm forma perit Memmia, nec periit.

Ad Stellas.

Vos intempestâ lucentia sidera nocte,
Semita quà tendit lactea, qvàq; polus:
Qvis vigor in nostros manabit ab æthere sensus,
Si pater hinc Phœbus, qui mihi regnat, abest?
An quæ fraterno dea pulcriùs igne coruscas,
Impertis frntrem plùs mihi luce Tuâ?

De Apro Calydonio.

Damna qvòd, Ætoli, vestris aper intulit agris;
Nec Triviæ furor est, nec fera crimen habet.
Perdere sed qvæ ausa est Althæa venefica natum,
Carminibus diris in sata misit aprum.

Con-

Convivæ litigantes.

CErtant convivæ: quorum consensus in uno est.
Vina rogant omnes: nemo rogavit aqvas.

Ad Tobitum R. Tribun. militarem.

ET Tu militiâ nondum veteranus abibis?
Et positis Aqvilis rastra Tobite, geres?
Iam Martis decorum satis est? jam rura liceris
Fassa suum infami sente ruboq́ situm.
Bella recrudescunt: & adhuc regnare potestis.
Tu cave, ne leges det Tibi calo Tuus.

In Agilium.

SÆpe venis Agili septem comitatus ab umbris.
Prodigium est: bis tres sint procùl, una sat est.

Poëtarum trivialium abdicatio.

LEgimus in silvis summos minimosq́ Poëtas:
Inq́ suam turba est utraq́ missa tribum.
Vos lætas animas ad limina nota reporto:
In freta cum rivis hoc rude vulgus eat.

In Loppium.

VVlt Alpha doctorum videri Loppius,
Cùm sit opicus. Post Beta nescit cæteras.

Ad Musas.

SIcca canis rapidi comes improba Solis in æstu,
Et grave messori sidus abire parat.
E nemore ad Themidos sacrata palatia mittor,
In fora de regnis litigiosa meis.
Tam placidum, Musæ, paullisper condite vultum,
Scitis ut & vobis detur in urbe locus.